



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Abbate Daniele, qui formam sanguinis vidit in calice, cap. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

ma argumenta, quod omni creaturæ, rationali vt homini, irrationali vt animalibus, insensibili, aquæ scilicet, terræ, aëre, & igni manifestata sit virtus huius diuini sacramenti. APOLLONIVS: Satis mihi probatum est, quod sub specie panis sit verum corpus Christi, nunc autem verum eius sanguinem esse sub specie vini, similibus mihi exemplis ostendas. CÆSARIUS: Noueris consimiles causas esse subsequen- tium visionum, quas & precedentium: quibusdam, vt iustis, forma sanguinis ostenditur, ad deuotionis suæ remunerationem: de sacramento dubitantibus ad confortationem; malè uiuentibus, ad correptionem. Ecce exempla.

## CAPVT XVII.

*Sub specie vini esse verum sanguinem miraturus ostenditur* **B**ONÆ memoriæ Daniel Abbas Sconauia, quandoque Prior noster, cum in die quadam missam celebraret, formam humani sanguinis in calice vidit: & quia tunc temporis non fuit sibi conscius alicuius mortalis peccati, eandem visionem nequaquam sibi ad iudicium, sed ad consolationem concessam sperauit. Huius visionis testis est Bernardus monachus noster, aliquando concanonicus eius in ecclesia maiori Colonia. Comparatur igitur visio hæc visioni Godeschalci, qui Dominum vidit sub specie panis in forma infantis, sicut dictum est ca. 2. Porro quod aliquando forma sanguinis quibusdam de sacramento dubitantibus ostendatur ad confortationem, sermo sequens declarat.

## CAPVT XVIII.

**H**EYLARDUS sacerdos de Vuninsdorp, cum die quadam in ecclesia dictæ villæ missam diceret, & de sacramento ex immisione diaboli periculosè dubitaret, quando ventum est ad orationem dominicam, ubi calix discoopertus deponi solet, humani cruoris speciem in illo vidit, & expauit: ac si ei diceret Dominus; Si non credis sacramenti veritatem, discas experimento: & cum fides via sit ad speciem, species hæc sanguinea te reducat ad fidem. Durauit autem forma illa vsq; ad sumpcionem. Interfuit eidem missæ  
Hyde.